



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

VII. De discussione propriæ conscientiæ , & emendationis proposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Utile est enim scire qualiter scilicet devotè ac reverenter tibi præparare debeam cor meum, ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & divinum sacrificium.

## C A P U T VII.

*De discussione propria conscientia, & emendationis proposito.*

### V O X D I L E C T I.

1. **S**uper omnia, cum humilitate cordis & supplici reverentia, cum plena fide & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum & sumendum, oportet Dei accedere Sacerdotem.

Diligenter examina conscientiam tuam: & pro posse tuo, verâ contritione & humili confessione eam munda & clarifica: ita ut nil grave habeas, aut scias, quod te remordeat, & liberum accessum impediat.

Habeas



Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas & gemas,

Et si tempus patitur, Deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miserias.

2. Ingemisce & dole, quòd adhuc ita carnalis sis & mundanus: tam immortificatus à passionibus: tam plenus concupiscentiarum motibus:

Tam incustoditus in sensibus exterioribus: tam sæpè multis vanis phantasiis implicatus:

Tam multum inclinatus ad exteriora: tam negligens ad interiora:

Tam levis ad risum & dissolutionem: tam durus ad fletum & compunctionem:

Tam promptus ad laxiora, & carnis commoda: tam segnis ad rigorem & fervorem:

Tam curiosus ad nova audienda, & pulchra intuenta: tam remissus ad humilia & abjecta amplectenda:

T 7

Tam



Tam cupidus ad multa habenda :  
tam parcus ad dandum : tam tenax  
ad retinendum :

Tam inconsideratus in loquendo :  
tam incontinens in tacendo :

Tam incompositus in moribus :  
tam importunus in actibus :

Tam effusus super cibum : tam  
surdus ad Dei verbum :

Tam velox ad quietem : tam tar-  
dus ad laborem :

Tam vigilans ad fabulas : tam  
somnia ad vigilias sacras :

Tam festinus ad finem : tam vagus  
ad attendendum.

Tam negligens in Horis perfol-  
vendis : tam tepidus in celebrando :  
tam aridus in communicando :

Tam citò distractus : tam rarò ple-  
nè tibi collectus :

Tam subitò commotus ad iram :  
tam facilis ad alterius displicentiam :

Tam pronus ad iudicandum :  
tam rigidus ad arguendum :

Tam lætus ad prospera : tam de-  
bilis in adversis.

Tam



Tam sæpè multa bona proponens,  
& modicum ad effectum perdu-  
cens.

3. His & aliis defectibus tuis, cum  
dolore & magna displicentia pro-  
pria infirmitatis confessis ac deplo-  
ratis firmum statue propositum  
semper emendandi vitam tuam, &  
in melius proficiendi.

Deinde cum plena resignatione &  
integra voluntate, offer te ipsum  
in honorem nominis mei, in ara  
cordis tui holocaustum perpetuum;  
corpus tuum scilicet, & animam  
mihî fideliter committendo;

Quatenus & sic dignè merearis ad  
offerendum Deo sacrificium ac-  
cedere, & Sacramentum Corpo-  
ris mei salubriter suscipere.

4. Non est enim oblatio dignior,  
& satisfactio major pro peccatis  
diluendis, quàm se ipsum purè & in-  
tegrè, cum oblatione Corporis Chri-  
sti, in Missâ & in Communione Deo  
offerre.

Si fecerit homo, quod in se est,  
&



& verè pœnituerit : quotiescunque pro venia & gratia ad me accesserit : Vivo ego , dicit Dominus , qui nolo mortem peccatoris , sed ut magis convertatur & vivat : quoniam peccatorum suorum non recordabor ampliùs , sed cuncta sibi indulta erunt.

### C A P U T VIII.

*De oblatione Christi in cruce , & propria resignatione.*

#### VOX DILECTI.

1. **S**icut ego me ipsum expansis in cruce manibus ; & nudo corpore , pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli ; ita ut nihil in me remaneret , quin totum in sacrificium divinæ placationis transfiret !

Ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè in oblationem puram & sanctam , quotidie in Missa , cum omnibus viribus & affectibus tuis , quantò intimiùs vales , offerre.

Quid